



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

Antipharmacum ex Hunnio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40295**

sunt, &c. Et ut maximè dicas, esse bonam Dei creaturam, & verum sanctumque Dei verbum ac nomen, quovteris, tamen nihil est prorsus, nec id quidquam valebit, nihilque proderit. Non enim Dei mandatum & obedientia ibi vera est, sed propria tua temeritas & libido, scelestaq; inobedientia, satanaeque opus, & seruitus.

### *Antipharmacum ex Beza.*

Quaest. 155.

PORRIGAMVS Zuuinglio antidotum ex Beza, qui in Quaestionibus de Baptismo hanc quaestionem ponit. Ergone cogitur praecisè minister uti formula à Christo praecpta? Respondet Beza: Nulla certè iusta causa possit incidere, qua mutationem aliquam in tam paucis verbis possit excusare, quibus integrum illud mysterium diuinitatis declaratur. Quid si quis igitur pro Patre genitorem, pro Filio genitum, pro Spiritu sancto procedentem diceret? Quasi pro tribus personis distinctis, Trinitatem nominaret? Respondet Beza: Quorsum ista, quaeso? Iussit Dominus in hoc mysterio non proprietates personales, sed ipsas personas, easq; distinctè innocari. Aliam igitur affectatam formulam pro legitima nūquam admiserim. Audiatur hæc Zuuinglius.

Multo minus igitur admitteres detractionem alicuius Personae, vel additionem hæreticam, veluti si quis Patrem maiorem, Filium minorem, Spiritum sanctum à solo Patre procedentem diceret. Respondet Beza; Rectè sentis. Nec enim hic esset Ecclesiae Christi Baptismus.

### *Antipharmacum ex Hunnio.*

HVNNIVS de Baptismo cap. 10. Diximus, quod loci eius forma, quam Christus mandauit, non debeat usurpari forma alia, ne quidem sensu æquiualens; non quòd substantia derogetur aliquid, sed quia Christus sui mandati suas habet nouitq; causas, ob quas explicitè velit in baptismo singulas Deitatis personas exprimi.

De